


Poliniki Francisco

Dyxon Hamiltoni Echo virtutum

PANCO. at VITAE
Polon. 4^o
792



V
P
I
S
C
S

E C H O
V I R T V T V M.

Excellentissimi ac Clarissimi Domini Dñi.

F R A N C I S C I
R O L I N S K I,
P H I L O S O P H I Æ E T M E D I C I N Æ
D O C T O R I S P R Æ S T A N T I S S I M I.

Dum

In celeberrima Academia Cracouien̄; pro
loco inter Doctores obtinendo
D I S P V T A R E T.

A

STANISLAO DYXON *Artium, & Philosophia*
Baccalaureo, Audita & enarrata.

CRACOVIÆ, Apud Stanislaum Bertutowic.

56.



Excellentiss; ac Clarissimo Viro Dño. Dño.
FRANCISCO ROLINSKI PHILOSOPHIÆ
ET MEDICINÆ DOCTORI.

CArmina hæc, rudi Mineruâ, occupatog; ingenio à
me conscripta, Tibi Clarissime, ac Excellentiss: Do-
mine, debitâ animi obseruantia, dedico ac consecro. Fa-
cit iuris naturalis instinctus imò pietas ut cuius benefi-
cæ sim expertus comiter voluntatis argumenta, ei grati-
tudinis arationem, & obseruantia munimentum testa-
tum velim. Tu pro solita Tua in me humanitate, equi
boniquè consule, & à me hanc officij tesseram benignè
recipe. Ego quidem, ut maxima quæquè Tibi medulli-
tus exopto: sic quod aptius hoc tempore, & ista fortunâ
prestare possim, non facile reperiebam. In quo ipso quam-
uis multa erant, quæ scribentem terrerent; tamen, Tua
humanitas, mihi, & meis tot in rebus explorata, nutan-
tem confirmavit, spemquè fecit non ingrata hæc Tibi fu-
tura, quæ Tuo quasi auspicio nata, ac edita fuissent. Quæ
si Tu eo animo (quo certus sum excepturum,) accipies,
ad maiora me obeunda, promptum paratumquè prestabo.
Deum interim exoraturus, ut Tibi in hac Principe Regni
Schola, & vrbe felicia incrementa impertiatur.

BIBLIOTH. UNIV.



JAGELLONICAE

174772



TEstudo, quondam Deliciae Deum,
 Obliviosi temporis vnica
 Vindex, ab Orco siue narras
 Progeniem melioris æui,

Antiqua reddens: seu Polyhymniam
 Deducis alto vertice, temporum
 Tot iustra priscorum, tot orbes
 Difficili serie retexens.

Seu iura laudas ardua Romuli,
 Bacchouē Thebas, Delos Appoline
 Claras, per annales, superbæ, &
 Turrigeras Babylonis arces.

Seu saxa mollis, seu cita flumina
 Moraris, aut cum Pierij arbores
 Deducis, infernosquē vincis.
 Dulce modis modulans canoris.

Dic carmen, vllis non prius auribus
 Auditum, & ingens lætitiæ melos,
 Quod non leones æstuosos
 Huc agat, & fluuios retardet:

Sed quod venusto personet impetu,
 Suauiquē nostro corda R O L I N S C I O
 Soluat susurro: siue reddit,
 Siue citum rapit hora Solem.

Non Hybla tantis fragrat odoribus :
Tot non Hydaspes vorticibus tumet,
Spumans metallos tot virentes
Non rigidus Scytha dat Smaragdos :

Tot non Orion luminibus niter :
Quot æiternis fulget honoribus
ROLINSCIVS, quem iam sereno
Calliope facit ire Cælo.

Hunc non pauentem sustulerunt Noti :
Lapsu sereno nubila diuidit,
Agitquè per purum citatas
Ingenij rapiëntis alas.

Hunc docta nouit Cracia, Palladi
Regnata, quondam tempora laureis
Cingens corollis : hunc aprici
Ausoniæ stupuere Soles.

Tenet Cleanthem, quidquid & artium,
De fonte fluxit Socratico, ebibit,
Tentatquè Naturæ latebras
Aucupio iaculatus acri.

Dum iurâ mundi, certaquè fædera
Solers retractat, dum tacitos fatus,
Fontesquè natalesquè rerum
Mente nouâ meditatur, ortus.

Res vnde promat, quoquè alat vbere
Natura adaugens, quoquè cadentia
Humana, fatali resoluēt
Puluerē, nunc vegetante vitâ.

Nunc

Nunc morte inerti cuncta reciprocans.
Ut bruta tellus pondere stet suo,
Ut iura, collapsique mores
Sæpè ruunt vitio nepotum.

Quidquid feuerus Panthoides docet
Tenet, retractans & Babylonias,
Artesquè Chaldæas, vicissim
Per numeros seriemquè ducit.

Describit æquam planitiem, polum,
Nunc turbinas, discrimina lineis
Gradusquè certos, nunc reponit
Pene Syracusio videri

Prior Magistro, callidus orbium
Qui temperauit sydera vitreo
Cælo, Joue emirante & audax
Consilium minus approbante.

Ille & seueram sæpè Proserpinam
Clothoquè ludit doctus Apolline
Et ignem defendit ægris
Auxilio potiore febrim

Vitæ referuans, ingluuiem & famem
Frustratus Orci, corpora deripit
Quæ destinarat furua nigris
Manibus, & Libitina Diti.

Frustra laborat Mercurius gregi
Compellere atro, quem bonus expedit
Per damna fati; nec fororum
Fila cito patitur recidi.

Sed cuncta blandæ fama modestiæ
Momenta rerum transfilit, & nouos
Doctrina successus decenti
Diffimulat pudibunda vultu.
Odit loquacis compita gloriæ
Plebeia: quam cùm Fama fauentibus
Euexit auris, sapè misso
Inuidiæ stimulata telo,
Aut inuidentiùm territa vocibus,
Parùm obstinatis & malè fortibus
Dimittit alis, illa nudam
Plangit humum, lacerosquè faxis.
Affligit artus. Hunc meliùs tegit
Priuata Virtus, & popularia
Numquam volaturum per ora
Celet iners sine laude tectum.
Maeste hâc laboris congerie ò decus
Illustre Musæ. Iura Machaonis
Artesquè Phæbeas salubri
Consilio catus elabora.
O maeste famâ, dum sapientiæ
Consultus alti niteris ingeni
Pennis, & auras Dædaleis
Certior auspicijs inerras
Nec vsquam aberras: adfere vindicans
Vires fugaces: mens nisi decipit
Præsaga mentem; quid, quid inquam,
Decipit? Oedipodæ imò verba hæc:

Tu, Tu æuiternis inelyta honoribus
Famæ sacrabis per sola, per polos
Æternitatis nomina Actis
Perpete Mnemosynæ in facello.

Tibi Virentes tempora laureæ
Myrto impeditæ, fertaque gemmeis
Lambent Corymbis: seu renatum
Arboribus dederit decorem

Verè auspicato fax Hyperionis:
Iniuriosis siue Aquilonibus
Querqueta Gargani laborent
Et folijs videntur Orni.

Te non tacendum posthuma posteris
Ast æmulandum clara nepotibus
Seruabit olim, olimquè dicet
Fama tubâ metuens silere.

Doctrina fraudis nescia callidæ,
Publica virtus nescia criminis
Doctè docentem roborabunt
Consiliò metuente falli.

Dos ipsa Virtus est sibi, quam sequax
Licet procetur nominis ambitus,
Se debet æuo sola victrix
Inuidiæ immemorisquè fati.

Non ære cudit signa rubentia
Vultusquè crustis fingit eburneis
Non sudat electro, metallo
Marmore nec Pario laborat.

Tu
Tandem

Tandem senectam Marmora sentiunt
Æuo fatiscunt æraq; fortium
Mentita vultus, & metalli
Vena perit vetulosa sæclo,
At sola virtus illachrymabilem
Contemnet Orcum, mæsta nec impijs
Errabit umbris, ad sepulchrum
Urna dabit cinere indecoro.
Virtus sepulchri nescit inertiam
Alumna vitæ; nec sinit obrui
Obscura inornatam latebra
Ac tumulo senuisse vili



